

DE PARANDI OLEA
VERA METHODO

COMMENTARIUM X.



NTEQVAM ad Oleorum confectio-
nem, atque structuram deueniamus:
Primò quot dotes optimi existent Olei
proponendæ veniunt: Postea de eo-
rum differentijs agendum; & denique
quo pacto conficiantur Oleorum varia genera, per-
tractandum.

*Quid Oleum, et quale sit seligendum, eius
differentia, et quomodo purgandum.*

Cap. I.

Oleum qua-
le eligendū.

Oleum re vera dicitur illud, quod ex Oliuis fit,
alia per translationem, & abusum vocantur; fru-
ctus enim ex quo fit, Oliua, & Arbor Olea appella-
tur: hæc litteris tradidit Galenus 2. Simpl. c. 7. Olea
omnia Theophrastus lib. 1. de historia Plant. c. 19.
inter Succos enumeravit: *Optimum est illud, quod dul-
cissimum, purum, quod tenue, quod intuenti translucidum,
cuius modicum latissime per cutem extensum maneat sibi con-
tinuum, & celeriter ab ipsa combibatur. Omphacinum, quod
Omotrides nuncupant, est adstringens, cognoscitur gustu,
quod quantum habet adstrictionis, tantum habet frigidi-
tatis.*

tatis. Oleum autem vetus calidius. Hæc 6. Simpl. facult. c. de Oleo. At Oleum non quocumque tempore optimum existit; cum enim omnibus in succis geminum insit excrementum, alterum crassius, & alterum tenuius, quæ ad concoctionem, & separationem tempus expostulant; id quod crassius, & residet in Oleo, dicitur Amurca; alterum verò est tenuius, & rufi coloris: Vbi autem hoc excrementum separatum fuerit, candidius, & calidius efficitur, & minimè mordax. Separatur autem multis modis. Aut enim in Sole feruenti lati oris vasculo Olei pleno deposito, Chonchis in altum sublati: subinde id cum strepitu desuper conturbant: aut calidos vasculis Oleum continentibus cineres subiiciunt, Solarem quàm fieri possit maximè calorem imitari: & nos quidem per sepe Oleum huiusmodi bibendum nonnullis exhibuimus, & nos sumpsimus; prorsum nullam intestinis mordacitatem attulit gutturi minimè, nec oculis infusum. Hæc 2. de facult. Simpl. cap. 17. & 18.

Olei, vt iam diximus, duplex est species; vnum, quod ab Oliuis maturis exprimitur, à Mesue Cõpletum dictum; alterum, quod ab acerbis, & immaturis, quod Omphacinum à Recentioribus nuncupatur.

Sunt præterea alia Oleorû genera, quæ per translationem, & abusum Olea dicuntur, quorum meminit Gal. 6. Simpl. vbi de Oleo. Talia exstant Oleum Cicinum, quod ex fructu Ricini, Raphaninum, Sesaminum, Amygdalinum, Sinapinum, Lentscinum, Laurinum, Melanthinum, Terebinthinum, Mastichinum, Myrtinum, Balaninum, Hyoscyaminum, & alia ex fructibus expressa.

Seruantur Olea vsquequo rancida euadant, si

Z z

Sera-

Serapionem sequi volumus, aut vsquequo odorem amittant proprium.

*De varijs conficiendi Olea generibus à Mesue
Distinctione duodecima propositis.*

Cap. II.

Instituit Mesue ille Pharmacopæorum sedulus Pater multiformes Oleum faciendi, ac parandi modos, dicens: *Oleum multis fit modis, aut Expressione, aut Impressione, aut Resolutione.* De his omnibus à nobis diligenter tanti viri vestigia hoc ordine seruato sequentes sermonem habebimus.

*De Oleis, quæ Expressione fiunt, et primum de
Amygdalino, cuius exemplo cetera talia
parantur. Cap. III.*

Oleum ab omnibus illis, quæ pinguem naturam in se continent, exprimi potest, siue sint Semina, siue Fructus, in quo eliciendo hic seruandus est ordo ab Olei Amygdalini conficiendi exemplo desumptus, duce tamen Mesue.

Si magna sint Semina, vel Fructus, aut Baccæ, vt Amygdalæ à cortice lignoso, & à cute mudentur, & purgentur, dummodo inuolucra illa tenuissima admodum non existant, hoc assequitur, aut cultro, aut feruentissima aqua superinfusa.

Deinde plurimum in vase lapideo terantur, & in Offas cogantur, & horis circiter quinque loco calido

do contineantur, vel vase duplici hora vna coquantur, aut sub calente arena, aut cinere sacco inuolutæ.

Postea rursus terantur, & torculari exprimantur sacco conclusæ. Vel tritæ Amygdalæ in vase quo modo Maza, idest Panis ex farina subigatur in aere calido, pauca calida identidem affusa. Hæc Mesue. Dioscorides lib. 1. c. 39. vltimum modum probat.

Si verò parua sunt Semina, & exigua, & cortice euidenti priuata fuerint, terantur in vase lapideo, & cetera in conficiendo Oleo seruentur, quæ iam diximus, excepto tamen Sefami semine, quod prius modicè assandum, & excoriandum, vt facilius Oleum eliciatur.

Oleum ex
Sefami se-
mine.

Bacæ verò, vt Lauri, primò teruntur, & in aqua coquantur; si quidem ex obducto cortice quandam pinguedinem reddunt, quæ manibus expressa concha excipitur, & deinde seruatur. Hæc Dioscor.

E Baccis.

*Oleum Amygdalarum Amararum Dioscoridis
cap. 39. et Exercitatio.*

Rx. Amygdalarum amararum quantitatem, quam desideras.

Repurgentur, & siccentur, & in pila ligneo pistillo leniter tundantur, in Offas cogantur, quibus aqua, quæ ferbuerit, adiiciatur, & ubi dimidia hora humorem hauserit, vehementius quàm antea tundantur, mox tabellis premantur, & quod digitis hæsit, concha excipitur. Vel alijs modis paretur, quibus Oleum dulcium Amygdalarum,

Zz 2 vt

364 De vera Meth. Pharm. par.

vt Mesue, & hic modus à Dioscoride narratus à me
mirum in modum probatur.

His modis paratur Oleum

E Nucibus,
Auellanis,
Chrysomelis, i. Armeniacis,
Persici Nucleis,
Balaninum, i. ex Behen,
Ricininum, i. è Cherua,
De Cnico, i. è Carthamo,
De Nuce Indica,
De Cerafis,
Ex Seminibus Citri,
De Fisticis, seu Pistacijs,
De Pineorum Nucleis,
De Sem. Papaueris,
Lactuca,
Cucurbita,
Cucumeris,
Melonis,
Citireoli,
Et similia.

*Oleum Laurinum, vt Mes. et Dioscorides,
sic conficitur.*

*Baccæ Lauri maturæ, & recentes terantur in pila, ex
aqua in lebetè coquantur, post torculari plano, non cauo ex-
primantur in vas subiectum, in quo Oleum aqua supernatans
colligi-*

colligitur. Affusa calente aqua iterum terantur, & exprimantur torculari cauato, Zaynari Arabicè dicto, colligatur Oleum, & reponatur. Mesue.

*Oleum è Baccis Lentisci, vel Scinci
fit vt Laurinum.*

Oleum Sesaminum Mesue.

Semen ab excrementis purgatum aqua parùm salsa irrigatur, manibus fricetur: iterum irrigetur, donec madescat, siccetur, modicè assetur, sacculo aspero multum, diuq. confricando excorticetur, corticibus expurgetur, molatur in farinam, Oleum exprimatur, vt ex Amygdalis. Ex eodem semine non excorticato, sed assato, & mollito in farinam, Oleum quoque extrahitur. Hæc Mesue.

Oleum è semine Lini eodem paratur modo, sed non excoriantur semina, nec assantur.

Oleum de Vitellis Ouorum, Mesue.

℞. Vitellos Ouorum elixando duratorum nu. xxx.

Manibus disrumpantur, & confricentur, in sartagine terrea vitreata frigrantur igni mediocri, mouendo cochleari ligneo, aut terreo, donec rubescant, & Oleum ab his resoluatur, quod pressi cochleari largius remittent. Vel ydem Vitelli elixando indurati mola frangantur, deinde in Offas tundantur, & torculari exprimantur, quod in Oleo Amygdalino explicui-

366 De vera Meth. Pharm. par.

Error multorum.

explicuimus. Mes. Quinam sunt Seplasiarij, qui sartagine terrea Ouorum Vitellos frigant? re vera nemo: immo omnes ferrea sartagine hoc opus perficere tentant, ignique æstuant, atque ardenti: quapropter Vitelli non friguntur, sed aduruntur humido proprio absumpto, & Oleum incommodum redditur, & colore obscurum.

Oleum de Frumento Mes. et de Sinapi.

Pone Frumentum super laminam ferream, & super ipsum aliam laminam ignitam non multum, & comprime, & manabit Oleum.

Oleum è Nuce Myristica, idest Moschata.

Rx. Nucum Myristicarum contusarum, & tritarum diligenter, & Vino Aromatico irroratarum lib. iiij.

Incalescant vase aqua calida detento, deinde prelo fortiter exprimantur.

De Oleis, quæ per impressionem conficiuntur. Cap. IIII.

Per impressionem Olea parantur, cum materiæ in ipso maceratæ, & incoctæ qualitatem suam, & vires in ipso relinquunt, si credendum est Mes. quæ quidem vires, ac facultates vi caloris in actum erumpunt, & in Oleum diffunduntur, quod est tamquàm materia

materia accommodata ad ipsas suscipiendas: Pro cuiuscumque enim iniectionum natura Oleum variari contingit, teste Galeno 6. Simpl. cap. de Oleo. Quæ quidem interdum soli Oleo iniiciuntur; interdum sociam habent aut Aquam, aut Vinum, aut Succum, aut Decoctum, aut Infusum, aut aliud simile fluidum tamen, ac liquidum.

Quæ soli Oleo imponuntur, ac decoquuntur, prius in illo macerentur, vt 4. de sanit. tuenda c. 8. scribitur, si Flores sint vnciæ quattuor, & Olei decem, si exemplum sumere volumus ab Oleo Cipri- no à Mesue descripto, in Florum autē penuria, ipso iubente, Folia cum modico Vino bis mutata coqui possunt in eadem Olei mensura. *Quod si perfectius ipsum reddere optas, prioribus siue Floribus, siue Folijs reiectis noua iniiciantur; mox iterum exacto triduo alia mergantur, & ter hoc opus obeundum, deinde colentur, & exprimantur.* Hæc Actuar. lib. de Comp. Med. sic & Diosc. Prius tamen Flores, siue Folia confrangantur, vt ille: vel ab ipsis, Rhasi imperante in Antid. succus exprima- tur. At si Semina, contundantur, vt Gal. 4. de sa- nit. tuenda.

Si socium aliquem liquorem habeat Oleum, & alia Simplicia, siue sit Vinum, siue Aqua, siue Deco- ctum, siue Infusum, Simplicia illa contusa, diuul- sa, & dilacerata in talibus liquoribus macerentur per diem, & noctem, vt Haly, quia plurimum talia arida existunt, deinde coquantur, veluti Paul. lib. 7. sit quantitas liquoris, quanta omnia operire potest, iubente Haly lib. 10. cap. 3. At si liquor tantum,

aut

aut succus ingrediatur, Mesue, vt plurimum æqualem quantitatem liquoris, & Olei imponit, vt in Oleo de Cucumere siluestri, de Pomis Mandragoræ, & Costino, non rarò maiorem, vel minorem pro diuersitate naturæ Simplicium, quæ Olea recipiunt. Dura enim, vt Radices, maiorem copiam liquoris expostulant, quàm Folia, & Folia quàm Flores, vt plurimum loquor. Gal. lib. 4. de san. tuen. c. 8. dum de Oleis, quibus Semina, aut Flores macerantur, hæc: *Nonnulli diu macerari tum Flores, tum Semina non ferentes: partim ea percoquere in Oleo coguntur; partim Aquam iniicere, vt qui cautiores sunt, ne torreantur iniecta, & hi qui curiosi, duplici vase coquunt. Porro sufficit tantulum Aquæ, aut Vini admiscere, quantum coquendo totum euanescat. Modus erit si quadruplum, aut quintuplum Oleum sit.* Sed Gal. hoc in loco, nec de Radicibus, nec Lignis, nec Fructibus, quæ omnia maiori coctura indigent, verba fecit: nisi dicamus longam macerationem supplere defectum coctionis, quod rationi est consonum. Quot exstant Sepalsarij, qui sine aliqua maceratione, sineq. aliquo liquore Flores in Oleum iniiciunt? vel Herbæ, & omnia ardenti igni coquunt, vel potius, vt dixit Gal. adurunt? quapropter Olea imperfecta, inualida, & manca cum ægro tantum perniciem redduntur. Si igitur aliqua in Olei compositione quantitas liquoris non sit à Medico præfixa, sit tanta, quanta ea operire possit, vel vt Mes. cap. de Oleo Costino, quanta sufficit ad infundendum Simplicia, quæ in illa confusa, dilacerata, & fracta macerentur per diem, & noctem. Postea
bulliant

Error multorum.

bulliant lento igne, vase vitreato, aut stanno illito, vel duplici vase, quod melius erit, si diligenter Pharmacopæi parare student, ut Gal. vsquequo liquor omnino fuerit consumptus; hic enim est terminus ab omnibus Scriptoribus institutus: deinde colentur, & exprimantur imperante Dioscor. & Galen. 4. de sanit. tuen. à quorum sententia non discedunt Auic. Haly, Serap. & Actuar.

Cui expresso, si à Medico sit decretum, addatur Ladani, Vini liquatum, docente Serap. in Antid. & diligenter misceatur; quod intelligendum venit de alijs, ut Moscho, & similibus, ut de Euphorbio, quod optimè tritum post omnia addit Mesue in Oleo de Euphorbio.

Multa autè Oleorum genera ignis calore non decoquuntur, sed Soli exposita parantur, ut illa, quæ ex Floribus, aut Herbis nullo liquore addito conficiuntur. Ut plurimum hæc per curriculum quadraginta dierum Soli exponuntur, ut Auic. lib. 5. Mes. & Paul. Galenus autem 4. de sanit. tuen. c. 8. hæc: *Non autem per tres, quattuor, pluresve menses macerare permisimus, & postea linteo percolauimus. Et subdit: Si Florē contritum in Oleum injicias, & quotidie medicamentum dimouebis, idque potissimum, cum Sol serbuerit, & in domo calida reponas, celerius facultas in Oleum migrabit. Post binos ternosve menses Florē expresso Oleum habere potes. Vas sit vitreum linteolo coopertum, dum est sub Sole, ut Actuar. sit simplex, & rarum, ut transpiret, sicuti Paul. lib. 7. c. 20. At pauci Pharmacopæi hæc à Scriptoribus instituta agunt.*

Aaa

Olei

Mobus a-
blendi vbi
de Actuar

Enon, ten
poris, se-
placitior
quarta.

Enon, ten
poris, se-
placitior
quarta.

Olei Rosati Completi descriptio à Mesue tradita.

Modus a-
bluendi ubi
de Ablut.

Rx. Foliorum Rosarum recentium, & completarum, scilicet apertarum, quantitatem sufficientem, Oleo ex Oliuis, vel Sesamino recenti, & aqua fontana aliquoties loto, & macera in vase vitreo, diebus septem insola: coque tribus horis in vase duplici. Expressis folijs, & abiectis noua impone: insola iterum dies septem: coque, ut prius: tertio idem fiat. Deinde aque Infusionis Rosarum dictæ in Syrupis quantum est Oleum, misce; opercula, insola dies quadraginta; post excola, & iterum diu insola. Mes.

Error, seu
potius Se-
plasiariorum
auaritia.

Sint folia pro qualibet libra Olei ad pondus sex vnciarum, vel quinque saltem: At Dioscoridis tempore in lib. Olei j. β . librari mediam Rosarum imponebant. Sint folia exungulata iubente Dioscoride; fit enim Oleum validius: portio enim illa alba incocta existit, & vim adstrictoriam in se continet. Sed dicant mihi quæso Seplasiæ, quisnam est illorum, qui hæc omnia agat? quis enim Oleum abluit? quis ter Rosas immutat? quis decoquit illas diplomate? quis Infusionem addit? Dij immortales, quid impius, & iniquius quam ægrotantium afflictorum, & dolore acerrimo, ac ardenti inflammatione excruciatorum sanitatem impedire; immo & sæpe affectus illos augere? ab acri enim Oleo minimè abluto, & à pauca Rosarum quantitate, quæ semel immergunt, & in ipso macerant, Oleum imperfectum euadit: at si forte fortuna ter Rosas no-
uas

uas in Oleum inijciunt, Completum vocant: si vni-
ca vice, Simplex dicunt, spernentes Mes. decreta. Ar-
bitror tamen aliquem probum virum adinueniri
illius mandata seruantem.

*Oleum Rosatum Omphacinum, quod Rude
à Mesue dicitur.*

Hoc ex Oleo Oliuarum immaturarum, & folijs Rosarum
nondum apertarum conficitur. Hæc Mes. Arbitror ego
à paucissimis componi hoc Olei genus ad autoris
mentē. Pro immaturo enim ignauia potius, quàm
auaritia ducti maturum sumunt Oleum.

Error ali-
quorum.

Oleum Chamæmalinum.

Anethinum.

Sambucinum.

Leucoij Lutei, scilicet Keirinum.

Liliorum, sed Croceum abiciatur.

De Meliloto.

Violatum.

De Papaueris capitibus, & foliis, & floribus.

De folijs Lactucæ.

De floribus Nimpheæ, s. Nenupharis.

Hæc omnia parantur, teste Mesue, vt Rosatum,
quod tamen à nullo Seplassario seruatur, sed fa-
tis est illis aut Flores, aut Simplicium folia in Oleū
inijcere, & nulla facta illorum noua mutatione per
spatium dierum quadraginta, quod tamen raro e-

Error, vel
auaritia Se-
plasiar.

A a a 2 uenit,

Error fecū
dus.Error ter-
tius.

uenit, insolare; deinde exprimere illa, at non con-
festim post insolationem, sed quotiescumque ap-
petitus illos excitabit; quapropter non raro maxi-
mum detrimentum patiuntur, potissimum si Sim-
plicium humiditas à Sole exquisitè non fuerit con-
sumpta; saepe enim in imo vasis aquositas aliqua
mañet: & ideo Galenus 4. de sanit. tuen. c. 1. impe-
rat quotidie Oleum misceri, cum Sol ferbuerit, vt
talis humor absumatur, quod à Pharmacopæis mi-
nimè in vsu habetur.

Hoc pacto etiam parantur quæcumque Olea, &
Herbarum, & Florum, vt

Florum Hyperici.

Comarum Absinthij.

Iasminum, quod à multis Sambucinum.

Menthæ.

Portulacæ.

Momordicæ, à vulgo Caranzæ.

Nerei, à vulgo Leandri.

Et similia.

Sic ex Formicis alatis.

*Oleum Liliorum compositum Mes. et Exercitatio
circa ipsum parandum.*

Rx. Foliorum Lilij, scilicet albi, abiecta parte cro-
cea vnc. viij.

Mastiches,

Calami Aromat. ana vnc. j. β.

Costi

Costi,

Carpobalsami, Cubebe eius loco an. vnc. j. s.

Croci drach. iij.

Aqua q. s.

Omnia præter Liliorum folia aqua sufficienti vigintiquattuor horis macerentur, semel, aut bis ferueant, tunc adde

Olei dulcis, aut Sesamini lib. iij. *Ingr. viij.*

Additis Lilij floribus, in vase vitreo in sola dies quadraginta, coletur postea, & seruetur.

Oleum Irinum, vel è floribus Ireos, Mes.

Rx. Radicum Ireos lib. j.

Florum eiusdem lib. ij.

Aqua, cui incoctæ sunt aliæ Ireos Radices, quantitatē sufficientem, vt sunt lib. vij.

Olei Sesamini, vel dulcis q. s. scilicet octo lib.

In vase duplici coque, & Radices, & Folia noua immitte prioribus expressis, & abiectis, vt in Oleo Rosato Mesue. *Ingr. v.*

Oleum Melinum, seu de Cydonijs Mesue, et circa ipsum Exercitatio.

Rx. Carnium Cydoniorum, non perfectè maturorum cum cortice tritorum,

Succi eorum ana portiones æquales.

Olei Omphacini sufficientē quantitatē. *Ingr. iij.*

Vase

Vase vitreo diebus quindecim insolentur, deinde horis quattuor coquantur duplici vase, caro Cydoniorum, & succus mutetur, (eadem scilicet quantitate) rursum insolentur, & coquantur, ut diximus bis, aut ter, postremò colata reconde. Mesue.

Error aliorum.

Cydonia à lanugine illa diligenter detergantur, & seminibus purgètur, ut Paul. aliqua quorum portio trituretur, & ab alia succus eliciatur. Sint succi libræ exempli gratia quattuor, & Olei sex; si vigorosius desideras equalem portionem Succi, & Olei impone. etià si Mes. bis, aut ter, & Succum, & Carnem immutet. A paucis Pharmacopæis sic paratur ob eorum & ignauiam, & auaritiam.

Oleum Myrtinum Mesue fit ut Melinum, et Emulatum, et Rutaceum, ut Myrtinum.

Oleum Myrtinum, quod est in usu.

℞. Baccarum Myrtilib. j.

Olei lib. iiij.

Vinilib. ij.

Ingred. iij.

Error multorum.

Bulliant duplici vase ad Vini consumptione, in quo recentes Baccæ prius contusæ per diem, & noctem macerentur. Quot sunt, qui vase duplici hoc non coquant?

Oleum è Pomis Mandragoræ Mesue.

℞. Succu Pomorum Mandragoræ maturorum,
Olei Sefamini ana lib. ij.

Ingred. ij.

Coquan-

Coquantur duplici vase ad Succii consumptionem, quod ter faciendum, & reconde. Mes.

Oleum de Spica Mes. quod est nobis frequens.

Rx. Spicæ Nardi vnc. iij.

Vini,

Aquæ ana vnc. ij. β.

Olei Sesamini lib. β.

Ingréd. iij.

Coquantur in vase duplici lento igne, horis circiter quattuor semper mouendo. Mes. Supponit me iudice Spicam in Vino, & Aqua fuisse per diem maceratam.

Oleum Mastichinum Mesue.

Rx. Mastiches vnc. iij.

Olei Sesamini Kist. j. scilicet vnc. xvij. secundū

Serap. at si est Sextarium vnc. vxj. β. Ingr. ij.

Coque in vase duplici, Mastiche confecta.

Aliud, quod est magis in usu.

Rx. Mastiches vnc. iij.

Vini vnc. viij.

Olei Rosati lib. j.

Ingréd. iij.

Duplici coquantur vase ad Vini consumptionē. Mes. Nonnulli, vt semper Mes. carpant, affirmant melius

Error aliorum.

376 De vera Meth. Pharm. par.

Error mul-
torum.

melius fecisse, si pro Oleo Sesamino Omphacinum
admiscuisset: ignorant hi, vel non legerunt, Oleum
Mastichinum tumores duros lenire, ipsum affir-
masse. At hoc non est Sepiasarij munus: at benè
est eorum onus Oleo Sesamino vti ad multa Olea
conficienda, quod ab ipsis non feruatur.

Oleum de Styrace Mesue.

Rx. Styracis vnc. iij. vel iiij. si valentius.

Olei Sesamini lib. j.

Ingred. ij.

Diplomate, scilicet duplici vase coquantur, & co-
lentur. Mesue.

Oleum Costinum Mesue.

Rx. Costi amari, in eius def. Pyrethri vnc. ij.

Cassia vnc. j.

Summitatum Sampsuchi, i. Maioranae vñ. viij.

Vini odori quantitatem idoneam.

Olei Sesamini lib. iij.

Ingred. v.

Infundantur biduo illa in Vino, deinde cum O-
leo sex horis coquantur duplici in vase, vt Nardi-
num. Mesue.

Oleum Cyprinum, vel de Alchanna Mesue.

Rx. Florum Cyperi, multi dicunt Ligustri vnc. iij.

Olei veteris vnc. x.

Ingred. ij.

Fir

Fit vt Rosatum, in florum penuria folia cum modico Vino bis mutata coqui possunt in dicta Olei mensura. Mes.

Oleum Sampsuchinum fit vt Myrtinum Mes.

Oleum ex Thymelea, vel Mezereon Mes.

Rx. Foliorum Mezereon vnc. iiii.
Lactis recentis, & dulcis vnc. vj.
Olei Sefamini vnc. viij.
Aquæ lib. j. *Ingred. iij.*

Folia vigintiquattuor horis aqua macerentur; postea coquantur in Oleo, & Lacte, ad Aquæ, & Lactis consumptionem. Mes.

Oleum de Cucumere agresti, siue Sycionion Mes.

Rx. Olei Sefamini,
Succi Cucumeris agrestis ana lib. j. *Ingred. ij.*
Coquantur ad succi consumptionem. Quis Sefaminum Oleum imponit? dicat mihi quæso. *Error multorum.*

Oleum Croci Mesue.

Rx. Croci vnc. j.
Myrrhæ puræ vnc. β.
Cordumeni, idest Cardamomi, aliqui Carui filuestris vnc. ix.

B b b Olei

378 De vera Meth. Pharm. par.

Olei lib. j. β.

Aceti quantum sufficit, vel Vini. *Ingred. vj.*

Infundantur, atque macerentur quinque diebus
Crocus, & Myrrha in Aceto; die sexto toto Carda-
momum simul macera; septimo cum Oleo coquan-
tur igni lento ad consumptionem Aceti. Mes.

Oleum ex Piperibus Mesue.

℞. Trium Piperum ana vnc. iij.

Myrobal. Cepularum, idest Cheb,

Bellericarum,

Emblicarum,

Indarum ana drach. v.

Radicum Apii,

Fœniculi ana drach. iij. β.

Sagapeni,

Opoponacis,

Hyoscyami albi, aliqui Ammoniacy, quod me-
lius, ana drach. ij. β.

Turpeti boni, & albi drach. xij.

Zingiberis drach. iij.

Summitatum Thymi recentis, aliqui Hyssopi,

Foliorum Rutæ virentium ana M. j.

Aquæ lib. xxiiij.

Olei Cicini, idest de Cherua heminas ij. f. vn. xy.

Omnia parùm trita in aqua coquantur ad tertiã
partem, colentur, & cum Oleo bulliant ad aquæ e-
uaporationem. Addunt aliqui

Ireos

Ireos drach. vj.

Thapsiæ drach. ij.

Anisi,

Cardamomi ana drach. j. β.

Calami Aromatici drach. ij. β.

Spicæ Nardi drach. j.

Expressiōnis Hyssopi, vel Thymi sextar. tres,
scilicet lib. iiii. β. *Ingr. xxv.*

Potest poni loco Olei Cicini, Oleum Irinum, vel
Leucoii lutei, vel Amygdalarum amararum. Mes.
Recentiores ipsum parantes non Piperū trium vnc.
tres ponunt, sed drachmas tres, Turpethi non duo-
decim drachmas, sed duas, & expressiōnis tertiam
partem vnius sextarii, quæ aduersantur Scriptoris
placitis.

Errores
multorū.

Oleum ex Euphorbio Mesue quod est in usu.

℞. Euphorbii vnc. ʒ.

Olei Leucoii lutei,

Vini odorati ana vnc. v.

Ingr. iij.

Coquantur ad Vini consumptionem.

Oleum idem vigorosius Mesue; et parandi modus.

℞. Staphidos Agriæ,

Strutii, scilicet Condisi ana vnc. β.

Pyrethri drach. vj.

Succi Calaminthes montanæ, f. Nepitæ vnc. j. β.

Bbb 2 Costi

380 De vera Meth. Pharm. par.

Costi, Gentianæ eius loco, drach. x.

Castorei drach. v.

Vini odori lib. iij. β .

Euphorbii drach. iij.

Olei Leucii lutei, vel Sesamini lib. j. β . Ingr. ix.

Trita triduo macerentur in Vino, coquantur ad dimidium, deinde frica multum, & diu manibus & cola, cū Oleo percoque ad Vini reliqui consumptionem, tunc insperge Euphorbium recens, & album tenuissimè tritum, & miscendo coque. Mes. Possunt ne Pharmacopei diligentiores modum tale Oleum parandi desiderare? qui ut ingredientium sinceriores substantiam, atque tenuiorem in Oleū migret, multum, & diu, ea fricare manibus iubet, antequam decoctum Oleo admisceatur.

Oleum Vulpinum Mesue.

Rx. Vulpem vnā exenteratā tantum,

Aquæ Fontanæ,

Marinæ ana sext. j. idest vnc. xvij. dr. ij.

script. ij.

Olei antiqui, & clari sext. ij. β . idest vnc. xlj. β .

drach. j. script. j.

Salis vnc. iij.

Ingr. vij.

Coquantur hæc omnia simul ad aquæ consumptionem, & Vulpis artuum dissolutionem; postea aquam dulcem, cui Hyssopi, & Anethi Herbarum
ana

ana M.j. incoctus fuerit, affunde vasi, & cum dictarum Herbarum libra vna, recoque ad huius aquæ consumptionem. Mes. Sit Vulpes boni habitus, & tarris mediæ, & vis optimè nutrita, cuius ossa frangantur, ac disrumpantur.

Oleum ex Viperis.

Rx. Viperarum nigrarum, integrarum lib. ij.
Olei Sesamini sext. j. β. f. vnc. xxv. circ. Ingr. ij.

Coquantur lento igni in vase terreo vitreato, angustis oris, exactè obturato, ne illius noxio vapore offendaris, deinde vitreo vase recondatur. Mes. Nō pauci aduersantes autoris placitis, imperant caput, & caudam abscindenda esse; at ille integras assunere iubet.

Error aliorum.

Oleum ex Scorpionibus Mesue, quod Simplex dicitur.

Rx. Scorpiones xx.
Olei Amygdalarum amararum lib. ij.
Insolentur mense vno in vase vitreo probè obstrueto.
Ingr. ij.

Oleum ex Scorpionibus efficacius Mes. quod Compositum vocatur, quod sit in usu.

Rx. Aristolochiæ rotundæ vnc. j.
Gentia-

382 De vera Meth. Pharm. par.

Gentianæ,
Cyperi,
Corticum radicum Capparis ana vnc. j.
Olei Amygdal. amararum sext. j. idest vnc. xvj.
drach. j. script. j. *Incred. vj.*

Diebus viginti insolentur in vase vitreo, operculato, deinde Scorpiones à decem ad viginti Oleo iniice, obtura, insola iterum mense vno. Mes.

Oleum è Scorpionibus Matheoli, quod aliqui putant adinuentum fuisse à Gregorio Caravita eius praeceptore.

I.

Rx. Olei antiquissimi, vt centum annorum, sin minus vetustissimi lib. iij.

Foliorum Hyperici recentis M. iij.

Oleum ponatur in vitreo vase, cui iniiciantur Hyperici folia contusa crassiusculè, macerentur decem, aut duodecim diebus sub Sole, quo tempore in subtilissima arena sit vas semisepultum, & obturatum, tali loco, vt tota die insolari possit; deinde in balneo Mariæ roto vno die collocetur, & exprimatur.

II.

Postea addatur Hyperici,
Chamedrii,
Calaminthes,
Cardui Sancti ana M. j.

Hæc

Hæc terantur, & macerentur dicto iam Oleo tri-
duò, in balneo vase existente, postea exprimantur,
& colentur.

III.

Cui adde florum Hyperici à foliis, & fustibus
purgati M.ijj.

Tribus diebus in balneo macerentur, postea ex-
primantur, & colentur, quod ter reiterandum ve-
nit, vsquequo Oleum sanguinis purpurei referat co-
lorem; deinde infundantur dicto Oleo.

IIII.

Summitatum Hyperici recentis seminibus præ-
diti contusarû, & Vino albo irroratarû M.ijj.

Et insolentur octo diebus, vt iam diximus, &
per tres dies balneo detineantur, exprimantur, &
per colum traiciantur, quod ter, aut quater agen-
dum venit. His actis adde

V.

Scordei recentis,

Calaminthes,

Centaurii minoris,

Cardui Sancti,

Berbenæ, vel Herbæ Sacræ, aut Verbenacæ,

Dictamni Cretici ana M.ß.

Quæ omnia sint trita, duobus diebus continuis
in balneo locentur, deinde exprimantur, & colen-
tur; cui iniiciantur hæc trita.

VI.

Zedoariæ,

Rad. Dictamni albi ana drach.ijj.

Gen-

384 De vera Meth. Pharm. par.

Gentianæ
 Aristolochiæ rotundæ,
 Tormentillæ ana drach. iij.
 Scordei recentis M. j.
 Tribus diebus balneo vas detineatur, colentur,
 & exprimantur. Colato adduntur detrita hæc

VII.

Styracis Calamitæ,
 Laferpitii à Recentioribus Benzoini ana dr. vj.
 Baccarum Iuniperi drach. iij.
 Melanthii, f. Nigellæ drach. iij.
 Casiæ odoræ drach. viij.
 Santalorum alb. drach. iij.
 Schœnuanthus,
 Cyperi ana dr. j. β.
 In balneo triduo seruentur, postquam detrita e-
 rūt illa, colentur & exprimantur; deinde fumentur

VIII.

Scorpionis diebus Canicularibus adinuenti nu-
 mero tercentum.
 Qui vitreo vase satis capaci ponantur, quod su-
 per calentes cineres detineatur, donec illi sudore ma-
 deant, & huc, atque illuc moveantur à calore exa-
 sperati, tunc super illos Oleum prædictum iniicia-
 tur calidum, & operculetur, quod in balneo per tres
 dies seruetur, colentur, & exprimantur, & Scorpio-
 nes iam cocti reiiciantur; in Expresso infundantur

IX.

Rhabarbari electi,
 Myrrhæ ana drach. iij.
 Aloes

Aloes Hepaticæ drach. iij.

Spice Nardi drac. ij.

Croci drach. j.

Theriacæ,

Mithridatii ana drach. iij. *Ingr. xxxvij.*

Comminuantur arida, & omnia simul misceantur, & in balneo tribus diebus feruentur; & sic Oleum nec colatum, nec expressum recondatur.

Oleum ex Ranis Mesue.

℞. Caput Ranarum antiquarum lib. β.

Olei Sesamini sext. β. f. vn. viij. circiter. *Ingr. ij.*

In vase vitreo benè obturato coquantur ad capitum dissolutionem, deinde reponatur. Mes.

Oleum è Lumbricis terrestribus, quod est in usu.

℞. Vermium terrestrium Vino nigro, & vigoroso ablutorum lib. β.

Olei communis lib. ij.

Vini lib. β. *Ingr. iij.*

Bulliant duplici vase, coletur & seruetur.

Oleum de Castoreo, quod est in usu.

℞. Castorei,

Calbani,

Opoponacis,

Euphorbii ana drach. ii. β.

Ccc

Styra-

386 De vera Meth. Pharm. par.

Styracis Calamitæ,

Costi, eius loco Zedoariæ,

Calicæ,

Croci,

Carpobalsami, Cubebe eius loco,

Spicæ Nardi,

Cyperis,

Schænuanthus,

Piperis Longi,

Nigri,

Sabinæ,

Pyrethri ana drach. ij. β.

Olei lib. iij.

Vini optimi lib. ij.

Incred. x. viij.

Terantur terenda, & omnia simul macerentur.
per diem in Vino, coquantur diplomate ad Vini
consumptionem, colentur, & exprimantur.

*Oleum è Succis Herbarum, quod à vulgo
Zanetinum vocatur.*

℞. Foliorum Apii

Rorismarini,

Marrubii, aliqui eius loco herbam Sicilianam,

Millefolii,

Plantaginis,

Abfinthii ana M. ij.

Celidoniæ,

Lanceolæ ana M. iij.

Saluiæ,

Saluiæ,

Florum Verbasci ana M.iiij.

Florum Calend.

Consolidæ medię, à vulgo Laurentianę a. M. vj.

Succi Rutæ vnc. iij.

Olei communis lib. vj.

Terebinthinæ,

Resinæ ana lib. iij.

Chalbani vnc. iij.

Viridis Æris vnc. iiij.

Ingred. x-vij.

Ab Herbis succus extrahatur, & à Floribus qui cum succo Rutæ, & Oleo bulliat ad exhalationem; deinde adde Terebinthinam, & Resinam, & postea Chalkanum dissolutum vase remoto ab igne, & denique florem Æris.

Oleum Hyperici Ioannis à Vigo.

Rx. Olei Omphacini vnc. vj.

Mastichini vnc. j.

De Terebinthina drach. vj.

Rosati completi,

Terebinthinæ opt. ana vnc. ij.

Mastichēs,

Thuris ana drach. ij.

Myrrhæ,

Aloes Hepaticæ ana drac. iij.

Gummi Elemi,

Colophonix, i. Picis Græcæ ana dr. ij. β.

Ccc 2

Succi

388 De vera Meth. Pharm. par.

Succi Hyperici,

Centauri,

Plantaginis,

Caudę Equinę ana vnc. j.

Millefolii vnc. ij.

Rad. Tormentillę,

Dictamni,

Cardui Sancti ana drach. j.

Rubeę Tinctorum,

Granę opt. ana drach. iij. β .

Croci drach. β .

Vermium terrestrium ablutorum Vino odoro vnc. ij.

Foliorum Fraxini,

Radicum eiusdem ana M. β .

Vini odorati lib. ij.

Incred. xxvj.

Terantur crassiusculę rerenda, & bulliant ad Vini consumptionem, vigorosę exprimantur, vase vitreo ponatur colatum, cui iniiciantur flores, & Semina Hyperici, & aliquantulum Roris marini florum, insolentur per curriculum quindecim dierum, immutando iam dicta singula hebdomada.

Aliud, quod est magis in usu, et dicitur Simplex.

$\mathcal{R}$. Summitatum Hyperici contusarum vnc. iij.

Macerentur triduo Vini idonea quantitate, bulliant duplici vase, colentur, & exprimantur, quod iterum

iterum agatur, & colato addantur

Terebinthinæ vnc. iij.

Olei antiqui vnc. vj.

Croci triti script. j. *Ingr. v.*

Coquantur duplici vase ad Vini exhalationem, deinde colentur. Censeo ego paucos adinueniri Sepiasarios, qui hæc duo genera Oleorum coficiant, sed horum loco fortè vti Oleo Hyperici, quod Simplex vocatur per insolationem tantum paratum.

Error aliquorum.

Aliud Oleum Hyperici, quod à vulgo Oleum mulieris Hispanæ vocatur.

Rx. Hyperici recentis cum semin. lib. j. & vnc. iij.

Radicum Phu, à vulgo Valerianæ,

Foliorum Cardui Sancti ana vnc. viij.

Tritici recentis lib. ij.

Vini albi generosi q. s.

Macerentur omnia in Vino per decem dies, deinde bulliant ad dimidiū. Exprimantur, colentur, & addē.

Olei Veteris lib. vj.

Bulliant ad Vini exhalationem, & in fine inciantur

Olei Abietini lib. iij.

Thuris diligenter laugati vnc. vj. *Ingr. viij.*

Misce.

Oleum

Oleum è Semperuino.

Rx. Olei Amygd. dulc. aut communis decies aqua tepida diligenter abluti,

Succi Semperuulana lib. j. *Ingr. ij.*

Succus à foliis exprimatur, colo conuenienti traiciatur, ita vt depuretur, cum Oleo decoquatur diplomate ad exhalationem.

Sic paratur è foliis Solani

Papaueris,

Hyofcyami,

Lactuca,

Cucurbita,

Et similia.

Oleum è corticibus Citrij, vel Mali

Medici.

Rx. Olei Amygdalarum dulcium recentis lib. j.

Corticum extremorum Citrij vnc. iij.

Vini Aromatici q. s.

Ingr. iij.

Cortices dilacerati in Vino calido per duos dies macerentur, leuiter bulliant, & exprimantur, quod ter agendum erit; postea cum Oleo bulliat expressum duplici vase ad eius exhalationem.

Hoc

Hoc modo paratur Oleum
 E Caryophyllis,
 Nuce Myristica,
 Maci,
 Cinnamomo,
 Et similibus.

Non vniæ tres horum pro singula Olei libra imponuntur, sed duæ tantum, at si vigorosum exoptas & tres, & quattuor. Aliqui hæc solitaria diligenter terunt, quæ postea cum Amygdalis in mortario lapideo comminuunt Vino odore itrorantes, & prælo Oleum eliciunt.

De Oleis, quæ fiunt per Resolutionem.

Cap. V.

Fiunt Resolutione Olea, cum materie varij generis in corpore conclusæ, & veluti concretæ vi caloris separantur, opera præcipuè Chymistarum, de quo opere quantum liceat agemus: plura autem si audire cupis, Chymistas præceptores tibi adhibe, & cum illis versare. Hæc Mes. Duplex autem reperitur modus apud Chymicam artem calentes Oleum vi ignis eliciendi; interdum enim per Capitellum sursum tollitur, & hic destillandi modus dicitur per Ascensum, vel Ascensorium: interdum Oleum foras à mixtis ignis violentia educitur, & in vas subiectum defluit, & hic appellatur destillandi modus per Descensum, vel Descensorium. Mesue nonnulla proponit Oleorum genera, quæ ultimo hoc modo conficiuntur; etiam si sparsim quoque de

de illis agat, quæ per Ascensum parantur, de quibus nos Commentario duodecimo agemus.

Oleum Iuniperi Mesue.

Sarmentis Iuniperi tenuibus vas vitreatum oris angusti reple, laminam ferri tenuem foraminibus multis in cribri triticei modum pertusam ori toti applica, luta ita, vt nulla fiat euaporatio, eandem cum ore tum dicti vasis, tum alterius minoris etiã vitreati Oleum cadens à maiori excepturi, quod terræ vbi infoderis, igni luculento maius Iuniperi frutula capiens circumda horis duabus, sic Oleum in vas minus destillabit. Hæc Mes.

Eodem modo paratur Oleum

Fraxinum

Ex Gagatæ,

Ex Ligno Hederæ,

Ex Ligno Indo, Guaiaco dicto,

Ex Genista

Ex Pincis,

Et denique ex omnibus lignis pinguedine aliqua insignitis; sic quoque potest confici ex Baccis quarundam Plantarum.

Inter hæc Olea enumeratur & Oleum è Lateribus, etiam si sub illis, quæ sublimatione fiunt, continetur; quod Philosophorum, Benedictum, Sanctum, & Diuinum quidam vocarunt, quod arte sic paratur.

Oleum

Oleum de Lateribus, seu Philosophorum.

Accende Lateres ex terra rubente multum antiquatos in frusta comminutos carbonibus non fumantibus, donec igniti rubeant: tunc concha Oleo Roris marini, vel antiquo claro plena exingue, & quoad fieri potest Oleo imbue: Sicca per se in casulis, post minutissimè tere, & vasi per sublimationem destillandum trade, luto Chymistarum capitulo committe, carbonibus in fornace accensis coque, donec Oleum destillet in Phialam vitream nasi imo capitelli agglutinatum, quam exactè obstructam reconde, & serua: quanto enim antiquius, tanto valentius. Hæc Mes.

Semper ego sumerem antiquatos Lateres, vt auctor imperat, & non, sicuti Albuc. nouos; hi enim exsiccandi facultatem summam possident, quæ in antiquis destruitur, aut saltem multum minuitur: vnde facilius ad intima permeare potest. Quodlibet frustulum pendeat ad summum vnciam vnā iubente Albucasi. Reperitur naturale, quod Petreoleum vocatur, & ab Antiquis Oleum de Naphtha.



Ddd DE